

1605 in discrimen vocabantur, exarsere. Vix enim Paulus quintus pontificatus limen attigerat, cum omnia sedulo in Italia decreta Principum, Senatus consulta, leges circumspicere coepit; ut, si ulla in re vel pontificatus maiestatem, vel Ecclesiae dignitatem ac libertatem laesam arbitraretur, invictum ecclesiastici decoris patrocinatorem ac defensorem professus acerrime vindicaret. Inde Genuensium decreta nonnulla ut facile abrogarentur impetraverat. Eandem vero de Venetis palmam relaturum ratus, patentes iis, qui male in Rempublicam animati erant, aures praebere, allata disquirere coepit.

Initium a Vicetini, e Saracenorum familia, Canonici, nondum maioribus sacris initiati, petulanti libidine exortum; qui cum, matronae cujusdam amore captus, affinitatis specie, aditum sibi ad eam aperuisset, nullis minis aut precibus in suam sententiam pellicere potuisset, amore in rabiem verso, insigni dedecore eam afficere decreverat, quo tetrius nullum honestae mulieri accidere potest; domus illius fores noctu turpissime foedaverat. Ea re luce per civitatem vulgata, cum reus facinoris ignoraretur, mulier Venetias convolat; Decemviros adit, orat, obtestatur; honori suo ac famae, cui indigna a scelestis iniusta fuerat nota, pro amplissimi magistratus auctoritate consulant. Decemvirum collegium intolerandum existimans ejusmodi homines in praecipuis civitatibus inveniri, qui muliebri pudicitiae insidias struant, voti impotentes, exitium pudoris ac honestatis machinentur, Vicetino magistratui mandat, quis facinoris reus sit, diligenter perquirat. Illum cum multorum testium dictis Saracenum fuisse constaret, idemque per summum scelus publica quaedam sigilla abrasisse deprehenderetur, a Decemviris in iudicium vocatur. Id Romae nunciatum, obscure initio adrepens, tandem ad Pontificem deferitur; qui statim Joannem Delphinum, Cardinalem, Vicetinum Episcopum, ad se vocat; quid isthuc rei sit, exquirat. Re cognita, Augustino Nanio, legato, accersito, quamprimum Saracenum Antistiti remitti a Senatu postulet, petit.

Levi hac arrepta opportunitate non desunt, qui intestino in
Ve-